

Christianus Crusius

D. J. Jacobo Mascouio, suarum fautori
litterarum illustri, ingeniorum amatori
ad exemplum antiquitatis
S. D.

Cum ego semper in fide erga me tua et amore
conquiescendum mihi esse duxi, tum hoc tempo-
re, quo egere ea maxime videor, opem, consilium,
operamque tuam mihi confido nequaquam de-
futurum. Oro igitur obtestorque te, quibuscunqu
modis possum, quoniam nunc ita mea res atque
fortuna vacillant, ut nisi abs te aliqua reperta
via sustententur, ego iam plane conturbarim, ita
salutis mihi restituenda rationem suscipias, ut eam
constare aliter non credas posse, quam si maturis-
sime perficiatur. Spes enim Petropolenjis conditio-
nis etsi iam probe conualuerit, pessima tamen mea
forte necessariam unius anni dilationem cepit, qua
perincommodam noui consilii curam mihi imposu-
it. Cum enim difficultatibus quibusdam Lipsia
implicatus, ^{sim} quibus explicare ante confectum Petropo-
li negotium haud facile me possum, redire illuc vix

ulla ratione debebo. Otio autem obscuro interea tempore
 atque rationibus meis deesse nec volo, nec si velim de-
 berem; cum neque quemquam meorum habeam, a quo
 mihi huius temporis sumptus tribui, iure postulem:
 tum vero inanem hanc moram atque cessationem
 meam aliis magno oneri, mihi ipsi tædio atque dede-
 cori futuram provideam. Quo accedit res meas
 ita ferre, ut omnibus ad inutilia tempora sumptibus
 parcam; qui antequam ex patria discedam, magna
 summa egeo, qua meum nomen penes quosdam
 expediam. Itaque abs te peto contendoque, ut
 me ad aliquem, qui ad instituendos liberos mea
 opera utatur, honestis ~~me~~ rationibus alleges:
 qua ex re id consequar, ut interim tanquam in por-
 tu nauigans despiciam fluctus, expectemque auram,
 si qua forte a Petropoli cursum ostendat tran-
 quilliozem. Neque erit necesse prædici hominibus,
 me illuc abiturum. Quod te mihi negotium effe-
 ctum dedisse, eo minus poenitebit, quo securior ex-
 plorata mea aduersus te pietatis et grati animi
 fiduciam opinionemque retinere debebis. Fors
 erit, ut fructus olim capere tibi tam proluxæ in me

voluntatis tute ipse videare, cum senties tibi voluptati esse, a me tanquam a legitimo interprete, Petropolenses homines omnes tuas laudes discere; quanquam eas ne nunc quidem ignorent, neque tu earum cupiditate magnopere moueare, conuenit tamen grauitati constantiaeque tuae, quoniam ita veritas exigit, vt eas tam apertas tamque expositas libens et ipse nobiscum recognoscas, quod vere gloria pretium nemo vnquam sapiens contempsit. Viues enim tu in conscientia hominum, animis amicorum memoria atque monumentis litterarum etiam tum cum desisse viuere vis videbere, qui vitae iucunditatem breui huius lucis vfura metiuntur; ne dum, vt tui memoriam deponere velim is ego, qui vero voluptatis sensu tunc demum tangar, quotiescunque honoris eius, qui mihi apud te et in tua notitia fuit, recordabor. Vale, et, si quid mei causa confectum habes, Dresdam ad fratres meos perscribare oro. D. Prid. Cal. Jun. Dresda.